

# EPISTULA LEONINA XLI

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XXXVIII INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina.php>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

**EN HABES EPISTULAM LEONINAM QUADRAGESIMAM PRIMAM!**

**ARGUMENTUM**

FABELLA VILELMI HAUFF – PARS QUARTA: **CHALIFA CICONINUS** (in Latinum convertit Wilhelm Hundsrucker, partes priores insunt **EL 35/39/40!**). – FABELLA GRIMMIANA: **DE DIABOLO TRIBUS CAPILLIS AUREIS INSTRUCTO** („Märchen vom Teufel mit den drei goldenen Haaren“). -

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

*Cara Lectrix, Care Lector,*

*valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam quadragesimam primam.*

*Huic Epistulae inest quarta pars symbolae Vilelmi Hundsrucker emeriti directoris studiorum superioris gymnasii Saldenburgensis. Partes priores iam legisti in Epistulis Leoninis XXXV, XXXIX, XL. Ultimam partem invenies in EL XLII.*

*Addita est Fabula Grimmiana, cuius titulus originalis est «Märchen vom Teufel mit den drei goldenen Haaren». Attende: laetaberis !*

*Mox iam accipies proximam Epistulam (XLII).*

*Cara Lectrix, care Lector, hac Epistolâ Leoninâ helluare et pancraticê vale et perge nobis favere!*

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

d.Veneris, 03.º m.Septembris, a.2010

# CHALIFA CICONINUS

## fabella

a Vilelmo Hauff theodisce scripta

a Vilelmo Hundsrucker in Latinum conversa

PARS QUARTA (cfr EL 35, 39, 40!)



**ECCE MONUMENTUM VILELMI HAUFF APUD CASTELLUM LICHTENSTEIN, SUPRA VALLEM FLUVII *ECHAZ*, PROPE *LICHTENSTEIN-HONAU*, *ALBTRAU*F, SITUM. IN OPPIDULO *HONAU* INVENITUR ETIAM MUSEUM HAUFFIANUM.**

...scio, quomodo nos servemus. Chalifa valdê stupefactus rogavit, quomodo id fieri posset. “Magus”, inquit strix, “qui nos infelices fecit, omni mense semel venit in has parietinas. Prope hoc conclave aula est, in qua solet epulari cum multis magîs sodalibus. Iam saepe ibi eorum sermonem aucupavi. Narrant ibi inter se de facinoribus suis flagitiosis. Fortasse ille tum faciet illud verbum magicum, quod vos oblîti estis.” “O filia rêgis amicissima”, inquit chalifa, “dic, quando magus venturus sit et ubi illa aula




sit!” Strix autem, cum paulisper tacuisset: “Ne” inquit “indignati sitis! Sed solâ eâ condicione voluntatem vestram explere possum.” “Dic! Dic!”, Chasidius exclamavit, “qualiscumque condicio est tua, eam explebo!” “Ego quoque vobiscum libertate frui velim; hoc autem solâ eâ condicione fiet, ut unus vestrum me in matrimonium ducere velit.” Ciconiae hōc voto primo stupefacti sunt; tum autem chalifa famulo adnuit, ut secum exiret. “Vasire”, chalifa dixit ante ianuam, “hoc est commercium stultum, sed tu eam in matrimonium ducere possis.

“Quid?”, respondit ille, “uxor mea mihi cum istâ domum venienti oculos eradet. Praeterea senex sum; tu autem, iuvenis caelebs, aptior es ad filiam rēgis pulchram in matrimonium ducendam.” “Haec autem est difficultas!”, chalifa ingemuit âlīs maerore pendentibus. “Quis scit, num ea sit puella pulchra? Istud est rem emere involutam!” Cum diu collocuti essent, chalifa tandem intellegens vasirum malle ciconiam manēre quam strigem illam in matrimonium ducere, constituit, ut ipse condicionem acciperet. Strix itaque magno gaudio affecta professa est eos occasione optimâ venisse, quia verisimile esset magos proximâ nocte futurâ conventuros esse. Itaque strix cum ciconiis conclave relīquit eos ad illud atrium ductura. His diu per tenebras euntibus postremo tandem ex muro semiruinoso lux clara alluxit.



Cum eo advenissent, strix eis suasit, ut tacērent. Per lacunam enim muri, ad quam stabant, vidērunt magnum atrium circumcirca columnis ornatum et magnificē decoratum. Multae lampades coloratae lucem diei sufficiebant. Medio in atrio erat mensa rotunda multis cibis exquisitis obsita; circa mensam erat stibadium, in quo sedebant octo viri, ex quibus ciconiae unum cognovērunt illum mercatorem, qui eis pulverem magicum vendidisset. Is a convictore rogatus, ut novissima facta magica narraret, praeter alias multas res etiam fabulam de chalifâ vasiroque narravit. Postremo ab alio mago rogatus, quod verbum illis viris pensum imperavisset, “Difficile”, inquit, “verbum Latinum: ‘Mutabor’!”





*(Sequetur pars quinta et ultima)*

**Titulus originalis: „Die Geschichte von Kalif Storch“**

**Theodiscê scripsit**



**Wilhelm Hauff (1802-27)**

**In Latinum convertit picturisque ornavit**

**Wilhelm Hundsrucker**

Director studiorum superior emeritus

**Saldenburgensis**

## **DE DIABOLO TRIBUS CAPILLIS AUREIS INSTRUCTO**

Aliquando mulier pauper peperit filiolum, qui, cum nasceretur secundinâ obtectus, a vatibus dictus est aetate quattuordecim annorum in matrimonium esse ducturus filiam rēgis. Accidit autem, ut paulo post ipse rex in vicum veniret incognitus, et cum ex hominibus quaereret, quidnam esset novi, illi responderunt: “Modo natus est infans secundinâ obtectus. Tali homini fortunato, quaecumque susceperit agenda, omnia accident secundissima; praedictum etiam est fore, ut îdem quattuordecim annos natus in matrimonium duceret filiam rēgis.” Rēgi hoc displicuit, iit ad

parentes et: “Heus homines pauperculi, infantem vestrum tradite mihi, dabo vobis multum.” Primo illi recusaverunt, sed cum vir alienus praeberet aurum ponderosum et ipsi cogitarent infantem natum esse secundinâ obiectum ideoque omnia ei eventura esse secundissima, denique assensi rêgi dederunt infantem.

Rex eundem capsae imposuit, quacum equitavit usque ad flumen altum, cui capsam iniecit cogitans se liberavisse filiam ab inexpectato petitore nuptiarum. Capsa autem fluitabat tamquam navicula et per veniam Dei accidit, ut capsa ne guttulâ quidem penetraretur. Quae fluitavit usque ad locum duobus milibus passuum a regis urbe principe remotum, ubi erat molina, in cuius catarractâ inhaesit. Molitoris mediastrinus capsam cum animadverteret, magno unco attraxit cogitans eidem inesse magnos thesauros, sed capsâ apertâ apparuit pupillus bellus, qui erat perquam agilis vegetusque. Mediastrinus eundem pupillum attulit molitori eiusque uxori, qui, cum liberis carerent, gavisii sunt dicentes: “Deus nobis eum donavit”. Iidem hunc infantem acceptum bene curaverunt omnibusque virtutibus imbuerunt.

Puer cum adolevisset, accidit, ut rex aliquando tempestate coortâ molinam intraret et ex molitore atque molitrice quaereret, num ille esset filius eorum. “Non est” responderunt “filius noster, sed alumnus, quattuordecim annis ante capsae impositus per aquam fluitans adactus est ad catarractam et a mediastrino ex aquâ tractus.” Tum rex animadvertit illum esse puerum fortunatum, quem aquae iniecerat, et: “Heus boni homines” inquit “nonne hic puer poterit epistulam afferre dominae reginae, si ei mercedem dederò duos nummos aureos?” – “Ut dominus rex iubet” molitor eiusque uxor responderunt et puerum iusserunt se praeparare. Tum rex reginae scripsit epistulam, in qua legebantur haec: “Iste puer cum hõc scripto ubi primum advenerit, interficiatur et sepeliatur, et haec omnia fiant antequam adveniam.”

Puer autem cum hac epistulâ profectus est, sed de viâ aberrans vespere vênit in magnam silvam. In tenebris conspexit parvum lumen, quod adiit et pervênit ad domunculam. Cum intraret, vidit anum post ignem prorsus solam sedentem: quae puero conspecto est territa et: “Unde” inquit “venisti et quo vis ire?” – “Veni” ille respondit “ex molinâ et volo adire dominam reginam, cui a me epistula est tradenda, sed cum in silvâ a viâ aberraverim, hic velim pernoctem”. – “Miselle puer” anus inquit “pervenisti ad domum praedonum, qui, si domum venerint, te interficient.” – “Veniat” puer inquit “quisquis vult, ego non timeo, sed fatigatior sum, quam ut iter pergam” et in scamnum stratus obdormivit.

Paulo post praedones venerunt et ex anu quaesiverunt, quis esset puer alienus. – “Ah” vetula dixit “ille est puer innocens, in silvâ a viâ aberravit, quem cum eius me misereretur, recepi: qui iussus est epistulam ferre ad dominam reginam.” Praedones autem sigillo epistulae diffracto in eâdem legerunt puerum, ubi primum adveniret, esse interficiendum. Tum praedones miseruit pueri et dux epistulâ discissâ alteram scripsit, in qua legeretur puer, ubi primum advenisset, cum rēgis filiâ connubio coniungendus esse. Praedones puerum usque ad alterum mâne siverunt quietê in scamno iacêre, et, cum experrectus esset, ei dederant epistulam et monstraverunt viam rectam. Regina autem, cum epistulam acceptam perlegisset, fecit ea quae in eâdem erant scripta, iussit magnificam sollemnitatem nuptialem instituere, et filia rēgis in matrimonium ducta est a puero fortunato, et quia adulescens pulcher atque cômis erat, cum eo vivebat laetê atque contentê.

Aliquanto post rex rediit in castellum suum et vidit vaticinium esse expletum et puerum fortunatum cum filiâ suâ esse connubio coniunctum. “Quomodo” inquit “hoc factum est? Epistulâ meâ imperaveram omnino aliud.” Tum regina ei dedit epistulam et dixit, ipse videret, quae in ea legerentur. Rex epistulâ perlectâ intellexit eandem esse cum alterâ permutatam. Ex adulescente quaesivit, quid factum esset de epistulâ ei mandatâ, cur in illius loco alteram attulisset. – “Equidem” ille inquit “omnino nescio. Necesse est in illius loco permutatam esse alteram nocte, cum in silvâ dormirem.” – Rex autem irâ incensus: “Tam facilis res tibi non erit; qui filiam meam ducere vult, is oportet mihi e gehennâ afferat tres capillos aureos de capite diaboli evulsos; si quos postulo mihi attuleris, filiam licebit retineas.” – Rex cogitavit se sic ab illo defuncturum esse in sempiternum. Puer autem fortunatus respondit: “Capillos aureos quidem afferam, non timeo diabolium.” - Deinde valedixit et profectus est. Per viam processit ad magnam urbem, ubi portarius ex puero quaesivit, quam artem callêret et quae sciret. “Ego omnia scio” puer fortunatus respondit. “Si ita est” portarius inquit “rogo ut nobis gratum facias, cum nobis dices, quare e puteo mercatûs nostri, unde prius vinum scaturivit, nunc ne aqua quidem exeat.” – “Hoc cognoscetis” ille respondit “exspectate, dum redeam”. Deinde ire perrexit et vênit ad alterius urbis portam. Ibi autem cum portarius iterum, quam artem callêret et quae sciret quaereret, dixit: “Ego omnia scio” puer respondit. – “Si ita est” ille inquit “nobis gratum facere poteris, cum dices, cur arbor in nostrâ urbe sita, quae alioquin tulit fructûs aureos, nunc ne folia quidem agat”. “Hoc” puer inquit “accipietis. Exspectate, dum reveniam.” Deinde îdem iter perrexit et vênit ad magnum flumen, quod necesse erat traicere. Portitor autem e puero quaesivit, quam artem callêret et quae sciret? “Ego omnia scio” ille respondit. – “Si ita est” portitor inquit gratum nobis facies, si mihi dices, cur mihi semper huc illuc traiciendum sit nec

umquam pro me traiciat alius?” – “Hoc audies” ille respondit “exspecta, dum reveniam”.

Puer, cum flumen traiecisset, invênit introitum gehennae. Eadem erat nigra et fuliginosa; diabolus ipse non aderat, sed eius avia ibi sedebat in lâto arcisellio. “Quid vis” anus e puero quaesivit, non fuit aspectu valdê horribili. “Velim” ille inquit “tres capillos aureos e capite diaboli evulsos; alioquin mihi non licebit retinêre uxorem meam.” – “Multum postulas” illa inquit “diabolus domum reversus si te invenerit, actum erit de te; sed miseret me tui, videbo, num tibi adesse possim.” Deinde avia diaboli puerum transfiguravit in formîcam et dixit: “Rêpe in plicas gunnae meae; ibi eris securus.” – “Bene” ille inquit “rêpam, sed velim scire tria: Cur ex puteo, unde prius vinum fluxit, nunc ne aqua quidem fluat; cur ex arbore, quae prius tulit mâla aurea, nunc ne folia quidem agantur; denique cur portitori cuidam semper est traiciendum nec umquam pro eo traiciat alius.” – “Hae quaestiones” anus inquit “sunt difficiles, sed necesse est, ut taceas et quiescas, et attende, quid diabolus dicturus sit tribus capillis aureis evulsis”.

Cum advesperasceret, diabolus domum vênit. Vix intraverat, cum animadvertit âërem non esse purum. “Odôror” inquit “odôror carnem humanam. Hîc aliquid non convenit”.

Deinde omnes angulos perpexit et quaeritavit, sed nihil invênit. Avia autem diabolum increpuit: “Modo domum scôpîs everri omniaque ordinavi, nunc tu eadem pervertis; semper odoraris carnem humanam! Conside et sume cenam.” Cum diabolus cenavisset et potavisset, fatigatus est, capite suo in aviae gremium imposito dixit, ut illa se liberaret a pêdiculis. Paulo post diabolus obdormivit âërem per nares flans ronchabat. Tum vetula capillum quendam aureum correptum evellit et iuxta se posuit. “Vae mihi!” diabolus clamavit “quid agis?” – “Suppressione nocturnâ” illa inquit “vexata capillos tuos comprehendi.” – “Quid somniasti?” diabolus interrogavit. – “Somniavi” avia inquit “puteum mercatûs, unde alioquin vinum scaturisset, ne aquam quidem effundere – cuius culpâ istud accidit? – “Ha”, diabolus inquit “si illi hoc scirent! In puteo sub lapide sedet bufo quidam, si hunc necaverint, vinum denuo scaturiet”. – Avia iterum diabolum pêdiculis privavit, usque dum obdormisceret et tam vehementer roncharet, ut fenestrae tremerent. Tum avia alterum evellit capillum aureum. – “Hu! quid facis? diabolus clamavit irâ incensus. – “Ne aegrê feras” illa respondit “hoc feci somnians.” – “Quid somniasti?” ille interrogavit. – “Somniavi stare in regno aliquo mâlum arborem, quae alioquin tulisset mâla aurea, sed nunc in eâdem ne folia quidem crescere. Quid, dicas, causae fuerat, ut sic fieret?” – “He” diabolus inquit “si hoc illi scirent! Radix arboris arroditur



a mure, quem si necaverint, illa arbor denuo feret mâla aurea, sed si îdem mus radîcem arrodere perrexerit, tota arbor marcescet. At iam desine mihi narrare de somniis tuis, si tertio inquietaveris me dormientem, te alapabo.” -



Sed avia diabolum placidê allocuta et denuo pêdiculis privavit, usque dum ille obdormisceret roncharetque. Tum avia evellit tertium capillum correptum. Diabolus e lecto prosiluit aviae vim allaturus, sed avia denuo eum placans: “Quis” inquit “in culpâ est somniorum malorum?” – “Quidnam” ille interrogavit tamen curiosus “somniasti?” – “Somniavi” avia inquit “de quodam portitore, qui lamentaretur sibi semper huc illuc traiciendum esse nec ullum venire alium, qui suo loco traiceret. Quidnam causae est?” – “En illum!” diabolus inquit “stultissimum! Si quis venerit traiecturus, necesse erit, ut tradat ei contum, deinde is erit novus portitor, sed ille ipse erit lîber.” - Tres capilli aurei cum essent evulsi et quaestionibus cum esset responsum, avia diabolum nunc desiit inquietare, ut dormiret usque ad primam lucem.

Diabolo profecto vetula formîcam e plicâ gunnae sumpsit pueroque fortunato reddidit figuram humanam. “En” inquit “habeas tres capillos aureos. Quae diabolus dixit de tribus quaestionibus tuis, nescio an audiveris.” – “Audivi” ille inquit “et memoriae mandavi”. – “Ergo” avia inquit “adiutus es et licet proficiscaris.” – Puer fortunatus autem vetulae gratias egit, quod sibi affuisset periclitanti, gehennâ relictâ laetus fuit,

quo omnia sibi accidissent secundissima. Cum portitorem adveniret, ille flagitavit, ut rectè responderet. “Primum” puer fortunatus inquit “me traice, deinde tibi dicam, quomodo redimaris” et cum perveniret ad ripam adversam, portitori consilium dedit diaboli: “Si” inquit “proximus venerit traiciendus, contum impone eius manui”. Deinde puer iter perrexit et advēnit illam urbem, ubi stabat arbor sterilis et ubi portarius cuperet responsum. Tum portario dixit ea quae e diabolo audiverat: “Necate murem, qui arrodit radicem arboris, deinde arbor perget ferre mâla aurea.” Tum portarius ei gratias egit et mercedem dedit duos asinos auro onustos, qui sequerentur puerum fortunatum. Denique îdem vênit ad illam urbem, in qua puteus exaruerat. Tum portarium allocutus illa dixit quae e diabolo audiverat: “In puteo” inquit “sub lapide sedet quidam bufo, quem oportet quaeratis et necetis, deinde denuo abundè accipietis vinum.” – Portarius autem ei gratias egit etiamque donavit duos asinos auro onustos.

Tandem filius fortunatus domum pervēnit ad uxorem suam, quae eum revidens intimo ex corde laetata audivit illi omnia accidisse secundissima. Rēgi autem puer attulit quae is postulaverat, id est tres capillos diaboli aureos. Quattuor asinis auro onustis conspectis rex exhilaratus: “Nunc” inquit “omnes condiciones sunt expletae et tibi licet filiam meam retinere. Sed, care gener, dicas mihi, quaeso, unde tantum auri, unde hunc thesaurum ingentem attulisti?” – “Trans flumen” puer inquit “vectus sum ibique enim aurum tam frequens est quam harena in litore posita. “Possumne ego quoque aurum ex illo loco afferre?” rex interrogavit cupidissimus. – “Quantum vis” puer fortunatus respondit, “portitor est ad flumen, a quo oportet traiciaris, deinde in alterâ ripâ poteris saccos implere.” Rex autem properantissimè profectus, cum ad flumen veniret, portitori manu indicavit, ut se traiceret. Îdem autem veniens rogavit, ut ille pontonem inscenderet. Cum venirent ad alteram ripam, portitor conto manui regis impresso aufûgit. Rex vetulus autem non potuit, quin pontonem traiciat; sic accidit, ut lueret peccata sua. – “Num îdem rex adhuc pontonem traicit?” – “Quidni? Certè nemo contum ex eius manu exêmit”. **FINIS**

## VOCABULA RARIORA

**arcisellium**, -ii n. orig. *Sorgenstuhl*. DUDEN s.v. (veraltend) bequemer Lehnsessel.

**avia**, -ae f. orig. *Ellermutter*. cfr DUDEN s.v. Ellervater (mundartl.: eller = älter) Großvater

**catarracta**, -ae f. *das Wehr*. cfr Georges, Lat.-Dt. Wb., t.I, col.1029, s.v. cataracta I) B) das Schutzgatter...b) in Flüssen, die S c h l e u s e,

Plin.ep.10,61 (69)4... *i.q.* saeptum, -i n. ULP.dig.23,21,1 in. u.§4. cfr Georges, Lat.-Dt. Wb., t.II, col.2449, s.v. saeptum II) 2) b): “das Schutzgatter an Schleusen, das Wehr, Ulp.dig.23,21,1 in. u.§4.”

**secundīna, -ae f.** *Glückshaube, Glückshaut; Angl. Caul.* caput galeatum  
*Glückshaube, Glückshaut; Angl. caul*

Georges, Lat.-Dt. Wb., t.II, col.2562: secundīna, ae f. (secundus) die N a c h g e b u r t, Sex. placit. de medic. 14,10; dass. im Plur., Vulg. deuter. 28,57.

KLUGE e.al., Etymologisches Wörterbuch der deutschen Sprache, 21.ed. (1975), p.263: “Glückshaube f. ‘in dem gemeinen Aberglauben, wenn bey der Geburt die Haut, in welcher das Kind liegt, zu stark ist, als daß sie zur rechten Zeit zerreißen könnte, weil das ein glückliches Kind werden soll’ Adelung. Derselbe Glaube in mlat. *secundīna*, das mit frühnd. *kindfel*, (*kinds-*)*bürdlin* gegeben wird; Diefenbach 1857 Gloss. 523; Höfler 1899 Krankheitsnamenb. 221. 229, H. Fischer 1911 Schwäb. Wb. 3,716. Im Engl. entspricht seit 1547 *caul* (aus afrz. *cale* ‘Netz). Glückskind n. urspr. ‘mit Glückshaube geborenes Kind’ (wie das ältere *S o n n t a g s k i n d* ‘am Sonntag geborenes Kind’). Stieler 1691 bucht “Glückskind / *albae gallinae filius*” nach Juvenal 13,141. Zus.-Hang mit lat. *fortunae filius* (Horaz, Sat.2,6,49) ist fraglich.”

Mittelhochdeutsches Handwörterbuch von Dr. Matthias Lexer (<http://etext.virginia.edu/cgi-local/german/frames.pl?script=browse-dicts.pl&file=LEX&part=LW02037>): (l.625a) taufkleid, -hemd Loh. 7556. Türl. Wh. 137a. Altsw. 189,18. Weinsb. 45. Anz. 23,72. Vilm. 450. Birl. 430; glückshaube, secundina Voc. Schr. 2582;..


Dorland's Illustrated Medical Dictionary ([http://www.mercksource.com/pp/us/cns/cns\\_hl\\_dorlands.jspz](http://www.mercksource.com/pp/us/cns/cns_hl_dorlands.jspz)) secundina (se·cun·di·na) (sek”ən·di’ne) pl. *secundi’nae* [L., from *secundus* following] afterbirth. s. u ‘teri chorion. secundinae (se·cun·di·nae) (sek”ən·di’ne) [L.] afterbirth.

Glückshaube - aus Wikipedia, der freien Enzyklopädie: Von einer Glückshaube (lat.: *Caput galeatum*) ist die Rede, wenn das Kind mit der Fruchtblase (Eihäute = Amnion und Chorion) über dem Kopf oder dem Gesicht geboren wird. Die zähen Eihäute sind weisslich durchschimmernd, so dass man die Konturen des Gesichtes schemenhaft erkennen kann. Die Glückshaube ist harmlos und kann einfach von der Hebamme oder dem Arzt unmittelbar nach der Geburt vom Kopf abgezogen werden. Eine Glückshaube kommt zwar selten vor, ist aber alles andere als unbekannt. - Im Mittelalter galten Glückshauben als Glückszeichen. Es wurde als ein gutes Omen dafür betrachtet, dass das Kind für Geistesgröße und Großmütigkeit auserkoren oder auch mit advokatorischer Beredsamkeit ausgestattet war. Außerdem glaubte man, dass solche Kinder übernatürliche Fähigkeiten hatten und „sehen“ konnten. - Es gehörte die Tradition dazu, das Häutchen auf einem Papier zusammenzulegen. Die Hebamme rieb mit einem Stück Papier das Gesicht des Neugeborenen und drückte so das Häutchen auf das Papier. Dieses wurde der Mutter übergeben und sollte als Erbstück behalten werden. Häufig wurde die „Glückshaube“ auch in der Kleidung der Kinder vernäht. - Mit der Zeit kam die Legende auf, dass der Besitzer einer Glückshaube von besonderem Glück beseelt sei und ihn die Haube vor dem Ertrinken schütze. Deswegen bezahlten Seemänner den Müttern und Hebammen hohe Summen für Glückshauben. Eine Glückshaube war ein wertvoller Talisman. - Diese Tradition greift Charles Dickens in seinem Roman David Copperfield auf, der mit einer Glückshaube (engl. "caul") geboren wurde, die jedoch niemand kaufen wollte. - Nach dem Aberglauben der Nordländer wohnte der Schutzgeist oder ein Teil der Seele des Kindes in der Glückshaube. - Generell kann eine Glückshaube bei allen Säugetieren vorkommen.“

[http://www.bugenhagen-kirche.de/pb/predigt\\_20041010.htm](http://www.bugenhagen-kirche.de/pb/predigt_20041010.htm): „...Übrigens: solch eine Glückshaut gibt es tatsächlich. Nach dem etymologischen Wörterbuch sprechen wir von einer „Glückshaut“ oder „Glückshaube“, wenn die Eihaut, die das Kind in der Fruchtblase die Mutter umhüllt und normalerweise im Laufe des Geburtsvorgangs abgestreift wird, erst in letzter Minute gesprengt wird und dann – wie ein Häubchen – auf dem Kopf des Neugeborenen liegt. Sie muss dann vom Gesicht abgestreift werden, damit das Kind atmen kann. Diese Anomalität wird nach dem Wörterbuch des Aberglaubens als „Glückshaut“ gedeutet: „Es ist in diesen Tagen ein Kind mit einer Glückshaut

geboren“, wird den König berichtet, „was so einer unternimmt, das schlägt ihm zum Glück aus. Es ist ihm vorausgesagt, in seinem vierzehnten Lebensjahr solle er die Tochter des Königs zur Frau haben.“

[http://www.caulbearer.org/caul/cb\\_removingacaul.php](http://www.caulbearer.org/caul/cb_removingacaul.php): The Caulbearer. The purpose of the Caulbearer is to serve Mankind and to guide men and women to understand themselves and the world and universe within which we live. - How should a Caul be removed? - As the Caul is a membrane which covers the face of certain children at birth, it is regarded as being of human tissue and part of the child. The most distinctive feature of a genuine Caul is the presence of two loops which wrap around the ears of the child when born. This feature ensures that the Caul is held in place during the birth of the child. - Firstly, upon recognising that the birth is a Caul birth, two small holes should be cut for the nostrils and one for the mouth to enable the child to breathe. Once this has been done the loops which cover the ears should be carefully released from over the ears. The Caul should then be slowly peeled from the face to avoid any damage to the veil. - What does a Caul look like?



As there are many misunderstandings about what a Caul looks like we have provided a picture of one. This Caul is more than sixty years old and is still held by its owner. You should particularly note the unique characteristic of the ear loops which mark it as being different from other Cauls.

**Hanc fabellam Grimmianam, quae inscribitur “Märchen von dem Teufel mit den drei goldenen Haaren” in Latinum convertit notulisque instruxit**



**Nicolaus Groß**

<http://www.leolatinus.com/>

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
QUADRAGESIMAM PRIMAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE COMPOSUIT**

**d.Veneris, 3.º m.Septembris, a.2010**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.com/>**